jam parat prelo, et quæ cessura speramus in bonum Ecclesiæ. D. Fredericus d'Orvikius vir doctus et probus, amicus communis, cujus consuetudine libentissimè usus sum dum in Academia Oxoniensi commorarer, ad me literas tuas et D. Sculteti transmisit, eum ad vos jam proficiscentem literis meis comitari volui, et nisi tabellarius fidem fallat, comitor. Non est cur pluribus eum commendem, vobis satis notum; ea tamen specimina doctrinæ et pietatis apud nos edidit, ut injurius sim, si veritati testimonium non perhibeam, et eum Ecclesiæ utilissimam navaturum operam certò persuasum non habeam. Sed oblitus videor occupationum tuarum multarum gravissimarum. Unum restet, ut illud exorem, ne graveris me in eorum habere numero, quia tua libentissimè legat, et ut diutissimè Ecclesiæ superesis, evangelizans ore et scriptione, oret. Hoc velit, jubeat, qui coronam justitiæ bonum certamen certantibus præparavit, largiatur: cujus clementiæ mutuò nos commendemus et amemus mutuò. Scripsi pridie calendas Aprilis 1618.

222 Serenissimo Principi Transsylvaniæ

D. Bethlen Gabor.

Serenissime Princeps, Domine clementissime

Χαριστήριον sive grati animi monumentum, quod D. Jesu Christo servatori meo, ego indignus servus septuagenarius supremum fierum posui in Tuæ quoque Celsitudinis Bibliotheca Theologica deponeretur, extare non immeritò volui, suadente sic clementissimâ Tuâ in me voluntate, variè testatâ et confirmatâ. Ut jure debui, flagitante id præclaro divinarum rerum studio atque affectu, quo serò Tuam singulariter duci et delectari non ignoro. Commentarius est in S. Johannis Apo-

calypsin,

calipſim, decimum in annum mihi preſsus, nunc   De Ao 1618.
volenti, nolenti expreſsus, non tamen niſi, quod voveo
et confido, Ecclesiæ bono; De cujus operæ precio e ru-
dibi et boni bene judicabunt. reliqui in me inferorum
cardines movebunt: quia vidébor nimis tetigiſse
Papæ coronam, et Monachorum culinas. Atqui
præstare meum non erit, quod spiritus Dei, quod
S. Johannes jam pridem fecit. ego non niſi fidelis
index fui. Et ſcrevi ego quidem ingrediar viam omnis.
Gratias tamen toto pectore ago Deo meo, quod me,
in ætate, meque superstite, nonsolum hanc accendit
lucernam, quæ Babylonis abominationes clarius
revelabit: sed et in aliquam multorum Regum
et nutritiorum Ecclesiæ, Tuaque adeo Serenitatis,
corda dare cœpit odiſse et ſolam reddere mulie-
rem fornicariam Romam. Tempus est audire vocem
è coelo: Exite ex ea popule mi, Ruina enim prope
est. Prælium verò ad quod tres immundi spiritus tubis
mendaciorum et calumniarum Reges terræ magno hodie
conatu congregatum eunt in Harmageddon, in ipso-
rum utique capita recidet. Tu, heros fortiſsime, con-
fortare in Domino, quoniam stabilet thronum
tuum in fide, in justitia, et in veritate.
Quanquam autem sublimia sunt mysteria, quæ hoc
libro explicantur, tamen si quando unam quietis
horam ejus lectioni tribuere vacaverit, nunquam
spero absque fructu singulari de manibus deponet librum
Celsitudo Tua. Non frustra enim in eo Spiritus Dei
illud toties ingeminavit: Beatus qui legit, et beati qui
audiunt et servant verba Prophetiæ hujus. Oro igitur
suppliciter studium hoc meum serenâ fronte acceptare,
et codici huic cum reliquis Comentariis sacris ad poste-
ritatem vel in extremis Bibliothecæ forulis locum
concedere dignetur Seren. Tua.
Alumnos T. S. quod attinet, Casparus Boit et Martinus
Szilvasi fidei meæ commendati cum viginti aliquot

aliis suæ nationis doctissimis studiosis in Academia nostra versantibus pro eo, ut decet, graviter et prospere studia sua hactenus tractant, et ad futura munia se præparant, munificentiæ S. T. expectationiq; Ecclesiæ ex voto, ut spero, responsuri. Vale Serenissime Princeps; Dominus Jesus Tuæ Celsitudini cum Illustrissima conjuge, Generosissimo fratre, universaq; familia et gente Transsylvanica, quà domi, quà foris, gratia Spiritus sui ubertim benedicere pergat. Heidelbergæ 17. April stylo Juliano 1618.

T. Sereniss. Celsitudinis
servus indignus
subjectissimus
D. Pareus Prof. Theol.
Facultatis Senior.

223. Admodum Venerando Seni, Dn. Davidi Pareo, Celebri Theologiæ Doctori ac Professori Primario in Illustri Heidelbergensi Academia, Domino ac Præceptori olim suo reverenter suspiciendo.

Salutem in Christo Jesu cum prosperiori novi hujus anni curriculo animitus precatur, suaq; debita cum submissione pollicetur officia.

Binas abs te, Venerande D. Doctor Parée, accipio literas, ex quo tibi ne hilum quidem respondeo, idq; factum non negligentia meâ aut oblivione aliqua, verum partim variis occupationibus meis, partim expeditionibus bellicis, quibus et me oportuit interesse, quibusve Patriæ fines Illustrissimus Princeps tuetur; maximè verò fidelium tabellariorum inopiâ. Utut sit, obviis præsentem occasionem amplector ulnis. Priores tuæ exhibitæ sunt in castris Moldaviam proficiscentibus ad campum Bardsa cladibus insignibus celebrem positis, die 14. Augusti, anni proximè elapsi. Ex quibus ut venerandam vestram pietatem gravi catarrho liberatam et ordinariis suis sanctis laboribus restitutam esse

gratissimè